



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CIII. De Victoria fratrum contra Sambitas in territorio Bethen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Osterna VII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Helmericus de Reichenberge VI. Magister Provinc. Prussie.*

sumptis Viribus & audacia reversi ad prælium prædictorum Sambitarum occiderunt multitudinem capiosam.

CAP. CIII.

De

Victoria fratrum contra Sambitas in territorio Bethen.

IN terra Sambitiæ est quoddam territorium dictum Bethen, in quo homines feroces habitabant, & adeo potentes, quod de una villa quingenti viri ad bellum habiles poterant procedere, quos fratres de Kunnigsberg soli invadere non audebant. Unde rogaverunt Magistrum de Livonia, ut de partibus suis aliquos fratres & armigeros ipsis in subsidium destinaret, assignantes diem & locum ubi jubebant ad prælium convenire. Venientes itaque fratres de Kunnigsberg cum suo Exercitu in termino præfixo ad locum deputatum, incœperunt dictum territorium rapinâ & incendio devastare, Livoniensibus adhuc non comparentibus. Unde Sambitiæ commoti convenientes, exercitum fratrum hostiliter invaserunt, & dum jam vellent in fugam converti compellente ipsos nimia hostium potentiâ, exercitus fratrum Livonensium cum multis & magnis dextrariis supervenit, sicque simul invadentes totum illum Exercitum Sambitarum in ore gladii deleverunt, captis mulieribus & parvulis habitaciones hujus territorii & circumjacentium in cineres redegerunt.

*Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut. .
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Provinc. Prusſiæ .*

ANIMADVERſIO.

(a) Quid eorum temporum Scriptores per dextrarios intellexerint docet nos Auctor Chronici Colmariensis, qui de Alberto Austriaco agens. *Ex his, inquit, armatis centum inermes mille ladi poterunt, Habebat & multos, qui habebant dextrarios i. e. equos magnos, qui inter equos communes quasi Bucephalus Alexandri eminebant.* Edidit hoc Chronicon Urſitius part. II. *Hiſt. Germ.* Verba ipsa reperies fol. 75. Adducit quoque Joannes Gerh. Voffius alia loca, ut ex Walsinghamo pag. 237. *Miles intrat armatus insidens dextrarium decentiſſimè phaleratum.* Idem Beka in Andrea: *Corruit cum dextrario quem in sequentes hostes consequenter occiderunt.* Et in Wilhelmo: *Levitare sui dextrarii semel & iterum Hollandienſem transvolavit exercitum.* Sic enim Matthæus Parisiensis ad an. 1241. *Insidabat, inquit, eqvum Nobiliſſimum dextrarium Italicum.* p. 565. Edit. Gvilmelm. Wathii. Est itaque dextrarius eqvus Nobiliſſimus, Magnus belloque aptus: Undè autem ejusmodi eqvus dicatur, non una est sententia. Henricus Bangertus *in not. ad L. V. Chron. Slavici Arnoldi Lubecensis cap. 3.* putat dextrarium dici, quia ejusmodi eqvus dextrâ ducitur, eam verò originem vocis se ex antiquo quodam Lexico hausisse refert. Effet itaque secundum ejus expositionem dextrarius, Ein Handpferd. Joannes Gerh. Voffius putat dextrarium dici à dexteritate. Sed optimè sentire videtur Wilhelmus Wathius *in Glossario Matthæo Parisiensis subjuncto*, qui à Gallico vocabulo illud deducit. *Destrier* enim sive *dérier* Gallis (ut olim & Anglis) est *Cheval d'armes*: id est eqvus bellicus. Nisi fortè dicas & hoc Gallicum verbum, deduci à Latino *dextra*.

CAP. CIV.

De

*Reformatione pacis inter Fratres
& Sambitas.*

Hic